DISSERTATIO DE GENTIS FURIAE COMMENTARIIS DOMESTICIS

Eduard Lübbert

De gentis Furiae commentariis domesticis.

Furiorum inclutam illustremque gentem Tusculo oriundam esse inscriptiones clarissimae antiquissimaeque testantur Tusculi repertae, quae partim sepulcro Furiorum, quod ibi fuit, partim monumentis in deorum honorem consecratis debentur. Collegerunt has reliquias elegantissime summaque cum fide Ritschelius, humanis quidem rebus nuper ereptus, sed in hominum memoria aeternum victurus, in Priscae Latinitatis Monumentis tab. XLIX et Mommsenius in Inscriptionibus latinis antiquissimis p. 27. Rectissime animadversum est, ad hanc Furiae gentis originem Tusculanam pulcherrime referri venustam illam narrationem, quam anno 381 a. Chr. 373 a. u. c., quo M. Furius Camillus quintum tribunus militaris fuit, veteres auctores tribuerunt. Rumor percrebuerat, Tusculanos, fidissimos ceteroquin socios, defectionem moliri et clandestinis consiliis hostes adiuvare. M. Camillus cum collega L. Furio itinere citatissimo in Tusculanorum fines proficiscitur. Sed interim Tusculanos iam ipsos consiliorum suorum vehementissime paenituerat. Itaque enixo studio curarunt, ut Camillus per fines suos et urbem incedens omnia quam maxume pacata et ab omni belli specie quam remotissima offenderet. Pulchre haec Livius 6, 25, 9 descripsit: *ingressus urbem . . . ianuas patentes et tabernis apertis proposita omnia in medio videt intentosque opifices suo quemque operi et ludos litterarum strepere discentium vocibus ac repletas semitas . . . puerorum et mulierum huc atque illuc euntium.* Itaque haec tanta ad paenitendum proclivitas imperatoris Romani iram ita mitigavit, ut, cum tanquam in aciem ad vincendum prodisset, ipse se victum profiteretur. Tusculani a senatu sine difficultate erroris sui veniam plenissimam, mox civitatem nacti sunt. Hanc narrationem in gentis Furiae sinu et penetralibus ortam et de manu in manum traditam esse, valde probabile est.

Gens Furia vetustissimis temporibus quom non exiguo consulatuum et tribunatum militarium numero conspicua sit, tamen bellica laude ceteris non antecellit; ad summam demum gloriam consurgit M. Furii Camilli virtute. Eius vestigiis deinde strenue incedunt L. Furius, Camilli filius, et L. Furius, Camilli nepos. Magna illius gloriae splendorisque pars e bellis fortissime cum Gallis gestis provenit. Atqui confitendum est, de earum victoriarum triumphorumque fide non sine gravi caussa nuper dubitatum esse. Professus est, quid de hac re sentiret, vir egregius K. W. Nitzsch,

1. Sp. Fusius; pater patratus ca 100. a. u. c.

• • •

[Furius]

2.

3. Sp. Furius Medullinus Fusus; cos. 273.

4.

5.

6.

7. L. Furius Sp. f. Medullinus Fusus; trib. mil. 322. 329. 334.

8.

9.

11.

10.

12. L. Furius L. f. Sp. n. Medullinus; cos. 341. 345; trib. mil. 347. 349. 356. 357. 359. 360. 363.

13. M. Furius L. f. Sp. n. Camillus; censor 351; trib. mil. 353. 356. 360. 368. 370. 373; dictator 358. 364. 365. 386. 387.

14. Sp. Furius L. f. Sp. n; trib. mil. 354.

15.

• • •

23.

21.

22.

16. L. Furius M. f. L. n. Camillus; dictator 404. 409; cos. 405.

17. Sp. Furius M. f. L. n; primus praetor 388.

18. L. Furius Sp. f. M. n. Camillus; cos. 416. 429.

19. L. Furius Sp. f. L. n. Medullinus; trib. mil. 373. 384; censor 391.

20. Sp. Furius Sp. f. L. n. Medullinus; trib. mil. 376.

[Furius]

5. P. Furius [Medullinus] Fusus; cos. 282; triumvir agris dandis 287; legatus fratris Spurii consulis 290.

6. Sp. Furius Medullinus Fusus; cos. 290.

10. Agrippa Furius Fusus; cos. 308.

21. M. Furius Fusus; trib. mil. 351.

22. Agrippa Furius Sex. f. Fusus; trib. mil. 363.

1.

2. Sex. Furius; cos. 266.

3.

4. L. Furius Medullinus; cos. 280.

7.

8. Sp. Furius cos. suff. 301; i. m. m. e.

9. Q. Furius Pontifex maximus 305.

11. C. Furius Pacilus Fusus; cos. 313; censor 319; trib. mil. 328.

12.

13.

14.

16.

17.

18.

19.

20.

15. C. Furius C. f. Pacilus Fusus; cos. 342.

23. C. Furius C. f. C. n. Pacilus; cos. 503.

Die Roemische Annalistik (Berolini, 1873) p. 275 sqq. Polybius 2, 18, qui locus gravissimi testimonii vim habet, manifesto indicat, se intra illud quadraginta annorum spatium, quod post celeberrimam illam cladem a Gallis acceptam secutum est, nullius proelii cum Gallis commissi mentionem cognitam habere; nam ne eam quidem incursionem, quam anno tricesimo post Galli fecerint, cum proelio aliquo coniunctam fuisse. Iam vero, si Polybius haec bella, quae a Livio tanta eloquentia tantoque dicendi ornatu enarrantur, ignorat, fieri vix poterit, quin Fabium quoque Pictorem ea ignorasse statuamus. Haec rectissime ratiocinatus est Nitzschius. Unam tamen rem in hac quaestione premendam censuerim, quam Nitzschius, quia ab eius consilio id longius aberat, in medio positam reliquit p. 277. Narrationum illarum de M. Camilli, L. Camilli reliquorumque ducum victoriis Gallicis, quae annis quadraginta proxumis post urbem captam evenisse dicuntur, radices et prima origo referendae videntur ad eorum bellorum cum Gallis gestorum tempora, quae paucis annis ante et paucis annis post bellum Hannibalicum exarserunt. In his bellis nomen et gens Furiorum post longam oblivionem ad novam laudem splendoremque resurgit. Eminent duo Furii inter clarissimos eius temporis duces. P. Furius Philus, anni 223/531 consul, testibus actis triumphalibus Capitolinis triumphavit 'de Galleis et Liguribus'. L. Furius Purpureo, anni 200/554 praetor, Livio 31, 49, 1 teste triumphavit de Gallis. His temporibus nata videtur illa vox, quam in oratione apud senatum habita, cum triumphum peteret, L. Purpureonem iactantem facit Livius 31, 48, 12: *data fato etiam quodam Furiae genti Gallica bella.* Itaque hac aetate, qua summa fortitudine saepiusque Furiis ducibus cum Gallis pugnatum est, fabulae illae ortae videntur, primum sine dubio in earum gentium, quae primarias quasdam partes in illis rebus sibi vindicabant, sinu et gremio. Quo tempore Polybius scribebat, haec nondum vulgata fuerant. Deinde Gracchorum fortasse tempore haec ex aedium privatarum umbra et ex familiarum gentiumque quasi officinis in lucem publicam prodierunt. Et duae sunt potissimum caussae, quae ut victoriae illae vetustissimae e Gallis reportatae fidem facere possent, effecerunt. Primum Romana virtute indignum videbatur, si ingens illa clades, qua urbs et nomen Romanum prope deleta fuerant, diu inulta remaneret; itaque imaginem saltem ultionis aliquam confinxerunt. Deinde vero bellis illis Gallicis, quae urbis eversionem secuta esse dicuntur, pulcherrima triumphorum et victoriarum materia non solum patriciis gentibus, sed plebeiis quoque parabatur. Haec bella sub idem fere tempus incipiunt, quo plebeii ad consulatum pervenerunt; itaque duo consules de plebe C. Poetelius Balbus anno 360/394 et M. Popillius Laenas anno 350/404 in numero imperatorum sunt, qui per id tempus de Gallis triumpharunt. Sed de his

infra copiosius dicetur. Jam tabula propagationis gentis Furiae inspicienda est, quam in paginis duabus antecedentibus exprimendam curavimus.

Adnotatio.

Ad. Nr. 1. — Sp. Fusius fetialis fuit regnante Tullo Hostilio 672/82 — 640/114. Pertinet eius viri mentio ad illud foedus, quo Romani et Albani sanxerunt, ut belli, ad quod exarserant, eventus Horatiorum et Curiatiorum certamini committeretur, utque eo iudicio staretur, quod alterius utrius partis vel victoria vel clade di ipsi laturi viderentur. Narrat Livius 1,24,6: *fetialis erat M. Valerius. is patrem patratum Spurium Fusium fecit, verbena caput capillosque tangens.* Pater patratus unus aliquis creabatur e collegio fetialium, ubi tale quid usu veniret.

Ad Nr. 2. — De nominibus conf. Liv. 2, 39, 9: Dionys. 8, 16. Cognomen nullum neque apud Livium neque apud Dionysium traditur. Collegam Sex. Furius habuit Sp. Nautium. Incidit in hunc annum clarissima Coriolani expeditio, qua patriae bellum intulit. Itaque ut Coriolani virtuti victoriisque locus pararetur, qui hanc narrationem exornaverunt operam dederunt, ut consulum ingenia inertia et ignava fingerent. Dionysius in hac parte Valerium Antiatem secutus verbis satis acerbis utitur; 8, 37 ἥκιστα γὰρ ἐν αὐτοῖς τὸ δραστήριον ἦν et 8, 63 ἀφικόμενοι δ᾽ εἰς τὴν πόλιν ἐν αἰσχύνῃ πολλῇ ἦσαν, δειλίας δόξαν ἐπὶ τῷ ἔργῳ φερόμενοι. Valerium enim Antiatem eius narrationis formae, quam Dionysius exhibet, auctorem fuisse, manifesto colligitur inde, quod Dionysius multus est in laudanda Valeria Publicolae sorore, quae praecipuas quasdam partes agit cum in illo consilio de matronarum ad Coriolanum legatione commendando (Dion. 8, 39), tum in Fortunae muliebris sacello dedicando; Valeria enim prima eius deae sacerdos creata est; Dion. 8, 55 ἱέρεια μὲν ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἀπεδείχθη τότε πρῶτον ἡ τὴν γνώμην αὐταῖς εἰσηγησαμένη περὶ τῆς πρεσβείας Οὐαλερία.

Ad Nr. 3. — Ambo cognomina 'Medullinus Fusus' testantur fasti Capitol. Μενένλαιος habet Diodorus 11, 48. De rebus conf. Liv. 2, 43, 1 sqq; Dionys. 9, 1. 2. Collega fuit K. Fabius. Furius bellum cum Aequis gessit non admodum memorabile, hostibus plerumque refugientibus.

Ad Nr. 4. — Medullini cognomen testatur Chronograph. anni 354. Μεδιολανός habet Diod. 11, 63. De rebus conf. Liv. 2, 54; Dion. 9, 36. Collega fuit C. Manlius. Hoc anno 280/474 Cn. Genucius tribunus pl. legem agrariam promulgavit; cui cum consules summa vi resisterent, finito eorum magistratu reos Genucius eos fecit. Verum hac accusatione omnium patriciorum iram ultionemque incendit; itaque cum iudicii dies venisset, nuntiatum est, nocte antecedente Genucium domi in lecto mortuum

inventum esse. Accusationem illam consulum ad posteriorum temporum studia civilia fictam videri probabiliter Mommsenius statuit (Roem. Staatsr. 2, 1, 283).

Ad Nr. 5. — Fusi cognomen in fastis Cap. extat; item Medullini cognomen extitisse spatia litterarum docent. Cognomina desunt apud Livium 2, 56, 1 et Dionysium 9, 40. Diodorus 11, 66 Φίφρων habet. Collegam anno 282/472 Furius habuit L. Pinarium. Hic consulatus nulla re memorabilis est, nisi quod eo anno Volero Publilius rogationem clarissimam tulit, 'ut plebei magistratus tributis comitiis fierent'; sed haec rogatio sequente demum anno perlata est. Paucis annis post 287/467 P. Furius inter triumviros agro dando fuit, qui Q. Fabio suasore creati sunt (Liv. 3, ', 6). Huius denique P. Furi extremorum fatorum et obitus luculentam satis notitiam ad nos pervenisse probabili coniectura statuerunt viri docti, velut auctores commentationis de gente Furia insertae Augusti Pauly Encyclopaediae reali Vol. 3 p. 553. Rem narrant Livius 3, 4 et Dionysius 9, 63; Publii praenomen solus Dionysius servavit. Sp. Furius consul anni 290/464 ab Aequis circumventus et obsessus est. Eruptione facta frater consulis P. Furius legatus nimio hostium persequendorum studio abreptus cum paucis cohortibus exclusus est et cum nequiquam eum hostes ad arma tradenda exhortarentur, acriter dimicans cecidit. Aequi caput eius in cuspide gerentes ferociterque ostentantes ad castra oppugnanda redeunt; tandem a T. Quinctio proconsule, qui ad consulem liberandum citato cursu advenit, repelluntur. Hanc narrationem ex Valerio Antiate fluxisse Livius 3, 5, 12 apertis verbis indicat. Narrandi occasionem Valerio sine dubio praebuerant gentilis sui, L. Valeri, nomen et merita, qui Livio 3, 5, 3 teste in summa rei publicae propter consulis periculum concitatione ad praesidium urbis relictus fuerat.

Ad Nr. 6.

De cognominibus haec adnotanda sunt: 'Medullinus III' habet Chronographus, ubi in numero non consilium, sed errorem agnoverim. Apud Livium 3, 4, 1 codices habent 'Fuscus' pro Fusus, non minus illud ex scribendi errore natum. Diodorus 11, 78 Μεδιολανός praebet. In praenomine aliquanto gravior est diversitas; nam Dionysius, cum ter consulis nomen posuerit 9, 63 et 66, constanter 'Servium' eum vocat; itaque non error, sed consilium subest, quod quale fuerit nunc erui vix poterit. Atque omnino tenendum est, in praenominibus saepissime fastorum antiquos testes inter se dissentire, velut in solius gentis Furiae propagationis tabula iam tria sunt luculenta eius fluctuationis exempla. Praeter id, quod modo commemoravimus ad annum 290/464 pertinens, simile quid accidit anno 334/420, ubi tribunus militum, quem fasti

Cap. L. Furium vocant, apud Livium est Sex. Furius. Eodemque modo anno 354/400 fastorum Cap. Sp. Furius Livio est L. Furius.

Consulatus, quem sive Spurius sive Servius Furius anno 290/464 cum A. Postumio gessit, inprimis notabilis est, quia res eo anno gestae plane geminae et eaedem sunt cum eis, quae paucis annis post anno 296/458 L. Minucio C. Nautio consulibus gestae esse narrantur: praebent igitur egregium exemplum narrationum iteratarum, quibus referta est vetustissima historia Romana. Diximus de hoc consensu in superioris anni scriptione academica de gentis Quinctiae commentariis domesticis p. 20. Ambae narrationes compositae sunt ad Quinctiae gentis laudes celebrandas. In priore Sp. Furius ab Aequis circumventus et obsessus a T. Quinctio Capitolino Barbato proconsule liberatur; in posteriore (Liv. 4, 25 et Dion. 10, 22) L. Minucius ipse quoque ab Aequis in Algido castris inclusus obsidione premitur; in eo liberando L. Quinctius Cincinnatus dictator ab aratro ad summum imperium evectus immortalem gloriam meretur. Hoc unum tantummodo inter has narrationes interest, quod Sp. Furius nimia audacia in has angustias adductus est; in fratris enim P. Furi morte ulciscenda temere in hostium turbam elatus gravi volnere affligitur sauciusque a suis in castra reportatur: L. contra Minucius pavore formidineque impeditus suos intra vallum retinet; *nulla*, inquit Livius 3, 25, 3, *magnopere clade accepta castris se pavidus tenebat.*

Cum hac narratione, qua T. Quinctius Capitolinus Barbatus Sp. Furium obsidione liberasse summoque discrimine exemisse dicitur, arctiore haud dubie vinculo cohaeret alius cuiusdam rei memoria, quae in annum 308/446 incidit, quo idem T. Quinctius Capitolinus quartum consul atque rerum gestarum gloria florentissimus cum collega longe iuniore et nullodum rerum gestarum splendore insigni, Agrippa Furio, quem in tabula nostra sub Nr. 10 collocavimus, fasces tenuit. Narrat Livius 3, 66—70 hunc consulatum summo documento fuisse, quantum emolumentum res publica capiat ex pietate et benignitate iuniorum collegarum, qui cum par sit utrique consuli cum altero potestas, tamen peritioribus et spectatae virtutis collegis imperium submittant et in negotiis gerendis concedant. Verba Livi 3, 70, 1 haec sunt: *in exercitu Romano cum duo consules essent potestate pari, quod saluberrimum in administratione magnarum rerum est, summa imperii, concedente Agrippa, penes collegam erat, et praelatus ille facilitate summittentis se comiter respondebat communicando consilia laudesque et aequando imparem sibi.* Ex hac concordia fructus pulcherrimus natus est: consules enim unitis viribus egregiam e Volscis victoriam apud Corbionem reportarunt. Haec igitur imago collegae iunioris tanta observantia seniorem collegam colentis eique se

submittendis recte pulcherrima Livio visa est; sed multo etiam pulchrior fit, si coniectura non nimis profecto audaci statuamus, Agrippam Furium, officiosissimum observantissimumque T. Quincti collegam, filium fuisse Sp. Furii consulis anni 390/464, quem in consulatu idem T. Quinctius Aequorum obsidione liberaverat. Hoc si eum in modum in antiquis monumentis et commentaris gentis Furiae narratum erat, optime modestiae illius, qua Agrippa Furius insignis est, ratio redditur; hoc enim concesso filius Agrippa Furius beneficii, quo olim patrem Spurium T. Quinctius sibi devinxerat, memor collegam suum summo quo potest honore cumulat eique pro pulcherrimo debito, quod quasi hereditarium a patre acceperat, pulcherrimum faenus pendere studet.

Ad Nr. 7.

Plenum huius viri nomen est: L. Furius [Sp. f.] Medullinus. In fastis Capitolinis ad annum 420/334 servatum est 'Medullinus III'. Patrem eius Spurium fecimus, quod eo nititur, quia hic L. Furius in fastis Capitolinis sine dubio Camilli patris locum obtinebat. Camilli autem avus Spurius vocatur; is vero Sp. Furius commodissime pro consule anni 481/273 (Nr. 3) haberi poterit; nam quominus pro Sp. Furio anni 464/290 consule (Nr. 6) habeatur, obstat, quod is apud Dionysium, ut supra vidimus, Servius Furius vocatur. Attamen minime probabile est, de Camilli avo tam incertam memoriam ad posteros pervenisse. Diodorus duobus illis locis, quibus L. Furi nomen affert, 12,60 et 12,81, cognominibus caret. Iam igitur secundum fastos Capitolinos L. Furius Sp. f. Medullinus, pater, ut diximus, Camilli, ter tribunatu militum functus est: primum anno 432/322, conf. Liv. 4,25,5; deinde 425/329, conf. Liv. 4,35,1; denique 420/334, conf. Liv. 4,44,1. Primo anno collegam habuit L. Pinarium, quod moneo, quia P. quoque Furio (Nr. 5) in consulatu collega L. Pinarius, pater fortasse illius, fuit. Altero et tertio tribunatu L. Furio collegae fuerunt L. Quinctius Cincinnatus A. Sempronius Atratinus, ut in duorum annorum collegiis tribuniciis hi tres viri una fuerint.

De trium illorum annorum rebus gestis pauca tantummodo traduntur, quae hoc loco omitti poterunt. Unum vero omittere non licebit: extat in huius viri memoria gravis quaedam repugnantia, qua Livii narratio ab fastorum Capitolinorum testimoniis discedit. In fastis Capitolinis, quemadmodum supra vidimus, omnia optime cohaerent neque quidquam est, quod in eorum ordine et dispositione primo certe adspectu nos offendat. Apud Livium rerum continuatio et series turbata est. Livius tres illos annorum 432/322, 425/329, 420/334 tribunatus militares non uni eidemque L. Furio

tribuit, sed eius nomen in duobus tantum prioribus praebet; in postremo anni 420/334 codices Mediceus et Parisinus (Liv. 4,44,1) exhibent 'Sex. Furium Medullinum iterum'. Vossianus codex cum aliis nonnullis habet 'L. Sex.' Sigonius quidem, quem plerique editores secuti sunt, pro Sexti praenomine illud, quod et superioribus tribunatibus et fastis Capitolinis commendatur, Lucii, substitui iussit. Sed summo iure Weissenbornius noluit peccatum, quod ipse scriptor admisit, librariis tribuere et quamvis speciosa coniectura obtegere; itaque lectionem 'Sex.' retinendam censet eamque ad Liv. 4,35,1 in adnotatione doctissima, qua omnem fere gentis Furiae apud Livium memoriam comprehendit, defendere studet. Iam vero si, quod maxume probabile est, hoc anno 420/334 Sex. Furium Livius dicit 'iterum' tribunum fuisse, ipse secum non consentit; nam iterato tribunatui nullus, qui primus Sex. Furii fuerit, respondet; duos enim illos annos, qui soli idonei huic viro esse possunt, 432/322 et 425/329, Livius pariter cum fastis Capitolinis Lucio illi Furio tribuit, quem fasti Capitolini anno quoque 420/334 habent. Verum talis inconstantia in Livio minime inaudita est, solet enim, qua est simplicitate, vetustiores auctores excribere de eiusmodi discrepantiis minime sollicitus. Res igitur ita explicanda erit, ut statuamus, Livium trium eorum tribunatuum notitiam diversis fontibus debere, qui de praenominibus Furiorum inter se dissentirent.

Itaque hic Livii error cum aliquo nostro lucro coniunctus est; nam novo rursus exemplo docemur vetustos magistratuum populi Romani indices in praenominibus inter se discordasse, minimeque omnia eiusmodi monumenta fastorum illorum, qui publica auctoritate conficiebantur, fidei addicta fuisse. Atque fieri potest, ut non sine iusta caussa ab eis discesserint. Nam in fastis Capitolinis, qui illam publicorum fastorum memoriam ad nos propagaverunt, nitida quidem omnia sunt et accuratam quandam continuitatem certumque ordinem praebent; neque dubium esse potest, quin si lapides Capitolini integri servati essent, nos omnium gentium Romanarum, quae quidem ad nobilitatem pervenerunt, successionem et propagationem facile perspiceremus; nam in patris et avi, quorum nomina semper addita erant, significatione insunt illae origines et sanguinis vincula. Sed nitida illa species et elegans ille omnium partium concentus, quem praebent fasti Capitolini, arte quaesitus est nec effici ab eorum monumentorum auctoribus potuit, nisi vi quadam et audacia adhibita. Itaque Livio non nimis irascendum erit propter illam sive neglegentiam sive inconstantiam, qua 4,44,1 anno 420/334 'Sex. Furium Medullinum iterum' tribunúm militarem fuisse scribit. Latet enim in hac re testimonium aliquod privatorum illorum monumentorum, quibus magistratuum nomina memoriae mandabantur. Et profecto felici casu accidit, ut cur in huius rei notitia tradenda privata rerum memoria a publicis monumentis recesserit, in-

dicari possit. Nam si, id quod faciunt fasti Capitolini, tres annorum 432/322, 425/329, 420/334 tribunatus omnes uni L. Furio Medullino assignamus, hoc incommodum nascitur, ut in eius viri filium natu maiorem, fratrem Camilli, L. Furium (Nr. 12), nimium multos honores, duos consulatus et septem tribunatus militares, cum fastis Capitolinis cumulare plane cogamur. Nam huius L. Furii (Nr. 12) pater ex tota Furiorum gente nemo alius esse potest, quam is, qui illorum trium annorum sive omnes tribunatus gessit, sive partem, itaque si hi tres tribunatus ad unum eundemque Furium revocandi sunt, fieri non potest, quin nimiae illae honorum copiae, duo consulatus et septem tribunatus, uni tantummodo L. Furio adsignentur. Huic vero incommodo ei auctores, quos Livius sequitur, occurrere studuerunt. Praeter L. enim Furium in trium illorum annorum memoria Sex. Furium, Lucii fortasse fratrem, distinxerunt, eaque re id lucrati sunt, ut thesaurum illum duorum consulatuum et septem tribunatuum militarium duobus Luciis Furiis assignarent, quos fortasse fratres patrueles fuisse testabantur. Videmus igitur fastorum publicorum custodes nimio aequalitatis et concinnitatis studio adductos ea sanxisse, quae fabularum speciem in fronte gererent. Hoc incommodum monumentorum illorum privatorum auctores evitare studuerunt.

Ad Nr. 8. — Sp. Furii anni 453/301 consulis suffecti, qui in magistratu mortuus est, memoria solius Dionysii 10,53 testimonio nititur. Initio eius anni P. Curiatius Sex. Quinctilius consules fuerant. Mox pestilentia vehementissima exorta, quae multorum hominum funera attulit, consulum alter Sex. Quinctilius absumptus est. Hoc Livius narrat 3,32,4: *mortuus consul Quinctilius, quattuor tribuni plebi. multiplici clade foedatus annus. ab hoste otium fuit.* Alium consulem suffectum esse Livius ignorare videtur. Fasti Capitolini ad hunc annum servati ne prioris quidem consulis mortem agnoscunt. Longe uberius haec omnia exponit Dionysius 10,53: *ἐν ταύτῃ τῇ συμφορᾷ τῶν τε ὑπάτων ἅτερος ἀποθνήσκει Σέξτος Κοιντίλιος, καὶ ὁ μετὰ τοῦτον ἀποδειχθεὶς ὕπατος Σπόριος Φούριος, καὶ τῶν δημάρχων τέτταρες καὶ τῶν βουλευτῶν πολλοί.*

Ad Nr. 9. — Anno 449/305, quo plebis secessione altera decemviri ad abdicandum coacti sunt, Q. Furi nomen ab Livio 3,54,5 commemoratur. Dicitur autem pontifex maximus fuisse et senatus mandatu comitia habuisse, quibus novi tribuni plebis creati sunt. Verba Livii sunt: *factum senatus consultum, ut decemviri se primo quoque tempore abdicarent, Q. Furius pontifex maximus tribunos plebis crearet et ne cui fraudi esset secessio militum plebisque.* Asconius p. 69 (ed. Kiessl.) pontificem maximum, qui haec egerit, M. Papirium vocat.

Ad Nr. 10. — De Agrippa Furio iam supra ad Nr. 6 copiosius diximus, atque si quae ibi a nobis exposita sunt, fidem merentur, hic vir pro filio Sp. Furii

anni 464/290 consulis habendus erit. Cognomen 'Fusi' exhibet chronographus anni 354. Diodorus 12, 30 cognomine caret. De Agrippae Furii consulatu deque eius cum T. Quinctio Capitolino collega concordia Livius accurate rettulit 3, 66—70. Non alienum abs re fuerit admonere, apud Livium aliud praeterea exemplum extare summi magistratus concordissime acti, in quo iunior collega seniorem collegam singulari modestia et obsequio complexus sit. Pertinet haec narratio ad annum 386/368, quo in tribunatu militari Camillus, rerum gestarum laude cumulatissimus, collegam habuit P. Valerium; conf. Liv. 6, 6, 3. In utraque narratione Livius vocabulo 'summittendi' utitur; priore loco 3, 70, 1 *facilitate summittentis se comiter;* posteriore loco de Valerio 6, 6, 7 *sibi destinatum in animo esse, Camillo summittere imperium.*

Ad Nr. 11. — Plenum huius viri nomen, C. Furius Pacilus Fusus, efficitur partim Livii testimoniis, qui duobus locis, 4, 12, 1 et 4, 22, 7, C. Furium Pacilum eum nuncupat, tertio loco, 4, 31, 1 cognomine caret; partim Diodori memoria, qui 12, 35 'Quintum Furium Fusum' (Φέσος), praenomine, ut videtur, confuso, loco posteriore 12, 80 'Gaium Furium' in fastis suis recenset. Chronographus anni 354 'Fusi' nomen exhibet annis 441/313 et 426/328. C. Furii Pacili rerum gestarum memoria haec est: consulatum gessit anno 441/313; conf. Liv. 4, 12, 1. Tribunus militum fuit 426/328; conf. Liv. 4, 31, 1. De censura, quam cum M. Geganio Macerino anno 435/319 gessit, testis est Livius 4, 22, 7: *eo anno C. Furius Pacilus et M. Geganius Macerinus censores villam publicam in campo Martio probaverunt, ibique primum census populi est actus.*

Ad Nr. 12.

Plenum nomen, L. Furius L. f. Sp. n. Medullinus, extat in fastis Capitolinis ad annum 405/349, servata patris quoque et avi significatione. Livius omnibus locis Medullini cognomen addidit; Diodorus nunquam in eius viri honoribus indicandis cognomine usus est omninoque in numero honorum, quos L. Furio tribuit, a reliquis testibus discrepat; nam ad tres annos 398/356, 397/357, 394/360 eius nomen omisit; unius anni 391/363 tribunos militares duobus locis enumerat, 14,107 et 15, 15, priore loco L. Furium omittit, altero eius memor est. Fasti Capitolini huic viro mirum in modum favent; nam incredibilem fere honorum ab eo gestorum numerum tradunt: duos consulatus, septem tribunatus militares. Hae copiae ut uno conspectu lustrari examinarique possint, hanc tabulam subiecimus, qua eorum honorum anni simul cum locis, quibus Livius de eis agit, comprehenduntur.

Consul: 413/341 (Liv. 4, 51, 1); 409/345 (Liv, 4, 54, 1). Tribunus militum: 407/347 (Liv. 4, 57, 12); 405/349 (Liv. 4, 61, 1); 398/356 (Liv. 5, 14, 5); 397/357 (Liv. 5, 16, 1); 395/359 (Liv. 5, 24, 1); 394/360 (Liv. 5, 26, 2); 391/363 (Liv. 5, 32, 1).

Contra hanc honorum L. Furii seriem vehementer pugnat Livius, quemadmodum supra iam dictum est ad Nr. 7. Livius enim ultimos quidem quinque tribunatus ab tertio ad septimum uni L. Furio attribuit iterationis numeris diligenter adscriptis; in superioribus vero manifesto discrepat; nam cum ad annum 398/356 adnotaverit 5, 14, 5 *L. Furium Medullinum tertium,* ad annum 405/349 totidem verbis scriptum est 4, 61, 1: *L. Furius Medullinus tertium.* Deinde annum 407/347 nullo modo pro primo L. Furii tribunatu habuit, cum scribat 4, 57, 12: *quattuor creati, omnes iam functi eo hònore: L. Furius Medullinus* e. q. s.

Denique Livius contra fastorum Capitolinorum et Diodori auctoritatem pro anni 400/354 tribuno militari Sp. Furio L. Furium Medullinum exhibet (5, 12, 10), ne iterationis quidem numero adiecto. In consulatu anni 409/345 iteratum honorem significat. Itaque hoc unum manifesto apparet, Livium duos L. Furios discernere. quibus duos consulatos et octo tribunatus assignat. Eorum patres, L. Furium et Sex. Furium, iam supra sub Nr. 7 apud Livium distingui intelleximus. Sed Livius quod altera manu nobis donavit, altera rursus eripit; cum enim illis locis, quos indicavimus, L. Furios clare distinxerit, tamen quantum utrique eorum ex illo honorum thesauro debeatur et quomodo iterationum numeri supplendi sint, nullo verbo indicavit, omninoque horum virorum omnem memoriam ita perturbavit et obscuravit, ut Gordium aliquem nodum solvendum nobis reliquerit. Huius confusionis origo inde sine dubio repetenda erit, quod in eorum annorum historia enarranda Livius diversis auctoribus usus ab alio ad alium transiit; quare cum illi partim unum L. Furium, partim duos Lucios Furios hac aetate fuisse statuerent, fieri non potuit, quin in summam inconstantiam Livius incurreret.

Ad Nr. 13.

Plenum nomen exhibent fasti Capitolini ad annos 403/351 et 401/353: 'M. Furius L. f. Sp. n. Camillus.' Memoriam honorum et rerum gestarum in tabula subiecta composuimus Livii locis pro testimoniis adiectis.

Censor: 403/351 (Liv. 5, 1, 2, tribunum eum militarem appellans; Val. Max. 2, 9, 1 et fasti Capitolini censuram testantur). — Tribunus militum sexiens: 401/353 (Liv. 5, 10, 1); 398/356 (Liv. 5, 14, 5); 394/360 (Liv. 5, 26, 1); 386/368 (Liv. 6, 6, 3. 12); 384/370 (Liv. 6, 18, 1); 381/373 (Liv. 6, 22, 6). — Dictator

quinquiens: 396/358 (Liv. 5, 19, 1); 390/364 (Liv. 5, 46, 10); 389/365 (Liv. 6, 2, 5); 368/386 (Liv. 6, 38, 4); 367/387 (Liv. 6, 42, 4). — Interrex: 396/358 (Liv. 5, 17, 4); 392/362 (Liv. 5, 31, 8); 389/365 (Liv. 6, 1, 8). — Triumphavit quater: 396/358 de Veientibus (Liv. 5, 23, 4); 390/364 de Gallis (Liv. 5, 49, 7); 389/365 de Volscis, Aequis, Etruscis (Liv. 6, 4, 1): 367/387 de Gallis (Liv. 6, 42, 8).

Camilli rerum gestarum memoria mirum quantum posteriorum temporum fama et fabulis aucta est. Interim de honorum ab eo gestorum indice haec adnotanda videntur. Censuram anni 403/351, cuius testes sunt fasti Capitolini, Livius 5, 1, 2 non commemorat, sed tam Camillum, quam M. Postumium Albinum, qui Camilli in censura collega fuit, in numero tribunorum militarium recenset. Verum in hac re Livius parum sibi constat, nam in tribunatuum Camilli militarium iteratione indicanda illum censurae annum partim pro tribunatu numerat, partim non numerat. Anno 401/353 narrat 5, 10, 1, quae a 'M. Furio Camillo iterum' tribuno gesta sint; paullo post 398/356 rursus testatur, 'M. Furium Camillum iterum' tribunum militarem fuisse.

Itaque his quoque locis accidit, quod saepius iam observavimus, ut Livius auctorem, quem paullo ante secutus esset, cum aliqua rerum narrandarum perturbatione relinqueret; conf. Weissenbornium ad 5, 14, 5 de hac re disserentem. E Camilli dictaturis quinque amplissimam ad dubitandum materiam praebent quarta et quinta annorum 368/386 et 367/387. Quartam dictaturam Camillus gessisse dicitur inter certamina vehementissima patrum cum plebe de legibus Liciniis; narrat Livius 6, 38, 3: *ad ultimam dimicationem de legibus ventum; et cum tribus vocarentur nec intercessio collegarum latoribus obstaret, trepidi patres ad duo ultima auxilia, summum imperium summumque ad civem, decurrunt. dictatorem dici placet. dicitur M. Furius Camillus, qui magistrum equitum L. Aemilium cooptat.* Camillus cum per aliquod tempus contra pertinaces tribunorum impetus tanquam in acie stetisset, mox re infecta et propemodum coactus se abdicavit. Anno tamen sequente, cum ingens belli Gallici terror ingrueret, dictator quintum creatus est. Nec civium de se expectationem fefellit. Congressus cum Gallis in agro Albano summa cum gloria, non minore fere quam annis viginta tribus ante, eos fugavit senatusque decreto triumphum egit. Conf. Liv. 6, 42, 8. Haec omnia ab Livio narrantur tanquam pulcherrime cum reliqua Camilli rerum gestarum memoria concordantia et congruentia; Camilli enim in his duabus dictaturis enarrandis imaginem informavit tanquam viri flore et robore aetatis valentis. Sed oblitus propemodum est Livius eorum, quae annis haud paucis ante de fractis Camilli annorum onere viribus narraverat ad annum 381/373, quo sextum tribunatum militarem gessit. *Exactae iam aetatis,* inquit Livius 6, 22, 6, *Camillus*

erat, comitiisque iurare parato in verba excusandae valetudini solita consensus populi restiterat. Quinta dictatura, in qua Gallos in agro Albano vicisse dicitur, sexto tribunatui annis tredecim posterior est. Plutarchus repugnantiam obtegere paullulum studet, nam in sexti tribunatus narratione adversam magis valetudinem premit, quam senectutem; Camill. 37 *ἡ δὲ φανερωτάτη τῶν αἰτιῶν ἦν ἀῤῥωστία σώματος. ἐτύγχανε γὰρ νοσῶν περὶ τὰς ἡμέρας ἐκείνας.* In quarta deinde dictatura Plutarchus exactam aetatem confitetur, annorum numero adiecto cap. 40 *ὁ δ᾽ ἦν μὲν σφόδρα γέρων καὶ μικρὸν ἀπέλειπεν ὀγδοήκοντα ἔτη γεγονέναι. συνορῶν δὲ τὴν ἀνάγκην . . . κατέλεγε τοὺς μαχησομένους.*

Inde facile suspitio nascitur, duas postremas Camilli dictaturas posteriore demum tempore ad rerum ab eo gestarum memoriam tanquam cumuli loco adiectas esse. Accedit alia res, de qua luculentissime ornatissimeque exposuit K. W. Nitzsch, 'Roemische Annalistik' p. 275—280. Livius enim per illud quadraginta annorum spatium, quod fuit post annum urbis a Gallis captae et eversae, magnum numerum novit pugnarum cum Gallis commissarum, qui identidem in fines Romanorum incursionibus factis civitatem terruerint. Haec bella ducibus Romanis amplam triumphorum merendorum materiam suppeditarunt; non minus enim quinquiens triumphatum esse cum Livius testatur, tum pars, quae servata est, actorum triumphalium Capitolinorum. Bella, si Livium sequimur, haec fuerunt:

Anno 367/387 Camillus vicit triumphavitque (Liv. 6, 42, 6); anno 361/393 vicit T. Quinctius Pennus dictator (Liv. 7, 9, 6); Livius triumphum ignorat; acta triumphalia eum testantur; anno 360/394 vicerunt Q. Servilius Ahala dictator et consul de plebe C. Poetelius Balbus, triumphavit C. Balbus (Liv. 7, 11, 4 et 9); anno 358/396 vicit et. triumphavit C. Sulpicius Peticus dictator (Liv. 7, 12, 7 et 7, 15, 8); anno 350/404 vicit consul de plebe M. Popillius Laenas, qui et triumphavit (Liv. 7, 23, 2 et 7, 24, 10). Denique anno 349/405 vicit L. Furius Camillus, M. Camilli filius, consul, qui non triumphavit (Liv. 7, 25, 3. 12). Praeterea eorum bellorum memoriae duorum facinorum apud posteritatem clarissimorum narrationes insertae sunt; bis enim duo fortissimi viri extra aciem cum Gallis, a quibus provocati fuerant, pugnarunt; anno 361/393 T. Manlius Torquatus (Liv. 7, 10, 2), et anno 349/405 L. Camilli auspiciis M. Valerius Corvus (Liv. 7, 26, 2). Sed omnes hae narrationes, in quibus 'lactea' illa Livii ubertas pulcherrimo flumine effunditur animosque legentium summa dulcedine delectat, haud multum fidei merentur. Nam, uti rectissime monuit Nitzschius l. s. s., Polybius, talium rerum paullo quam Livius gravior testis, intra illud quadraginta annorum post urbem captam spatium non modo nullius triumphi memoriam famamve novit, sed ne pugnae quidem cum Gallis commissae mentionem

facit; immo eo loco, ubi data opera de vestustioribus, quae Romani cum Gallis gesserint, bellis exponit unam tantummodo et alteram Gallorum incursionem factam esse tradit, quarum in priore Romani, in posteriore Galli proelii discrimen cunctatione e fuga evitaverint. Ex imperatoribus Romanis apud Polybium neque Camillus neque reliquorum quisquam commemoratur. Polybii verba sunt 2, 18, 6 *μετὰ τὴν τῆς πόλεως κατάληψιν ἔτει τριακοστῷ, τότε μὲν οὐκ ἐτόλμησαν ἀντεξαγαγεῖν Ῥωμαῖοι τὰ στρατόπεδα, . . . αὖθις δ' ἐξ ἐπιβολῆς ἔτει δωδεκάτῳ . . . ἐπιπορευομένων, . . . (οἱ Ῥωμαῖοι) ἀπήντων· οἱ δὲ Γαλάται καταπλαγέντες . . . φυγῇ παραπλησίαν ἐποιήσαντο τῆς ἀποχώρησιν.* De tribunatibus militaribus sex, quos Camillus gessisse dicitur, alibi nobis dicendi locus paratus erit.

Ad Nr. 14. — Plenum nomen 'Sp. Furius L. f. Sp. n. Medullinus' fasti Capitolini exhibent. In Spurii praenomine consentit Diodorus 14, 47. Livius contra 5, 12, 10 'L. Furium Medullinum' eum vocat, qua de re supra dictum est ad Nr. 12. Sp. Furius tribunus miltitum fuit anno 400/354.

Ad Nr. 15. — De hoc C. Furio [C. f.] Pacilo anni 412/342 consule testes sunt Livius 4, 52, 1 et Diodorus 13, 54.

Ad Nr. 16. — L. Furius M. f. L. n. Camillus bis dictator fuit, anno 350/404 (Liv. 7, 24, 11); et anno 345/409 (Liv. 7, 28, 3). Consul 349/405 (Liv. 7, 24, 11 et 7, 25, 11) cum Appio Claudio Crasso. Diodorus 16, 59 hoc consulum par ignorans alia consulum nomina affert. Hunc L. Furium filium M. Camilli esse, maxume apparet Livii loco 7, 25, 12 *memor paternae virtutis Gallicum sibi bellum extra sortem sumit.* Quocum conferas Plut. Camill. 35 *ἀπολιπὼν τὸν υἱὸν Λεύκιον.*

Ad Nr. 17. — Sp. Furius M. f. L. n. primus praetor fuit anno 366/388 (Liv. 7,1,2).

Ad Nr. 18. — L. Furius Sp. f. M. n. Camillus. Plenum nomen praebent acta triumphalia ad annum 338/416. Consulatum gessit cum C. Maenio 338/416, qui extinctis postremis belli Latini reliquiis triumpharunt (Liv. 8, 13, 1—10). Consul iterum fuit cum Iunio Bruto Scaeva anno 325/429 (Liv. 8, 29, 2).

Ad Nr. 19. — Nomen et origines huius viri 'L. Furius Sp. f. L. n. Medullinus' praebent fasti Capitolini ad annum 363/391. Fuit tribunus militum anno 381/373 (Liv. 6, 22, 6); deinde iterum anno 370/384 (Liv. 6, 36, 3); censor fuit anno 363/391 cum M. Fabio Ambusto, testibus fastis Capitolinis, tacente Livio. Huius viri memoriam clarissimam reddidit consortium M. Furii Camilli, patrui eius, in tribunatu anni 381/373. Narratio rerum gestarum huius anni, quae extat apud Livium

6, 22, 6—26, 8, in earum fabularum numero est, quibus veteres illi historiae Romanae auctores et conditores recte faciendi exempla proponere et ad virtutis praecepta iuventutis animos informare conati sunt. In bello contra Volscos gerendo Camilli natu iam grandioris et ad senectutem vergentis cautio et cunctatio L. Furio invenili robore et ingenio superbienti molesta esse coeperat; poscit igitur a collega ut, quoniam pristinus ille animi eius fervor senectutis onere quasi relanguisse videatur, quom utrique collegae par potestas et imperium par sit, per aliquot dies summum imperium sibi concedat, ne rei publicae fortiter gerendae occasio praetermittatur. Concedit Camillus admonito collega, ne in periculum, quod non tarditate et languore, sed cauto consilio ipse evitavisset, temere et cum magno rei publicae damno incurreret. Eventus brevissimo tempore Camilli vaticinium confirmavit. L. Furius ab hostibus fugatur et unius Camilli, qui praesidia nonnulla paraverat, interventu a graviore clade defenditur. Verum hanc collegae sui ignominiam Camillus tantum abfuit ut in laudem suam verteret, ut cum paullo post expeditio adversus Tusculanos facienda atque Camillo in ea re adiutoris et socii eligendi copia facta esset, ex universo tribunorum eius anni collegio L. Furium potissimum sibi adiungeret.

Ad Nr. 20. — Sp. Furius [Sp. f. L. n. Medullinus]. Supplementa uncis inclusa coniectura nituntur. Livius 6, 31, 1 'Sp. Furium' eum vocat, nullo additamento adscripto. Diodorus 15, 57 eum 'Lucium Furium' vocat. Tribunatum militarem gessit anno 378/376 (Liv. 6, 31, 1).

Ad Nr. 21. — M. Furius Fusus. Eius nomen extat in fastis Capitolinis in collegio tribunorum militarium anni 403/351. Patris et avi nomina, quod maxume dolendum est, lapidis fractura interciderunt. Consentit cum fastorum Capitolinorum testimonio Diodorus. Livius 5, 1, 2 in eius anni tribunorum militarium collegio recensendo duos exhibet Marcos Postumios, quorum nominibus interiectum est nomen M. Furii Camilli, hoc ordine: 'M. Postumius, M. Furius Camillus, M. Postumius Albinus.' Itaque aut ipse Livius aut librarii errore capti pro M. Furii Fusi nomine M. Postumium substituisse videntur.

Ad Nr. 22. — Agrippa Furius Sex. f. Fusus. Nomen eius viri habent fasti Capitolini ad annum 391/363. Livius 5, 32, 1 'Agrippam Furium' eum vocat. Diodorus cum errore quodam adductus bis eius anni tribunos militares afferat, 14, 107 et 15, 15, neutro loco Agrippae Furii memor est. Mommsensius in Hermae vol. V. p. 274. optime demonstravit, hoc quoque Agr. Furii nomen inter illa tribuno-

rum militarium undeviginti nomina ponendum esse, quae audacissima interpolatione posteriore tempore fastis publicis inserta sint.

Ad Nr. 23. — C. Furius C. f. C. n. Pacilus. Plenum eius nomen fastis Capitolinis ad annum 251/503 debetur, quo anno consul fuit cum L. Caecilio Metello.

Sed haec interim hactenus.

Iam posteaquam haec praefati sumus de re minime illa quidem levi et exili, verum tamen ex scholae umbra petita et tali, quae natura sua paucorum tantum hominum animos allicere possit, nunc ad maius augustiusque officium animos convertamus, quod in laetissimam ipsius vitae frequentiam nos deducit quodque quasi pignus est eius fidei atque pietatis, quibus patriae dilectissimae nomen, quo nihil carius hominibus est, academia nostra complectitur.

Appropinquat enim dies inprimis faustus et exoptatus, quo potentissimus clementissimusque princeps, Germanorum Imperator Rex Borussiae GUILELMUS I. lucem adspexit, quem diem sicut universa patria ita nostra quoque academia votis pientissimis et intimo pectore conceptis salutabit. Indicenda igitur sunt sollemnia, quae ab Universitate Christiana Albertina in magna aula die XXII. mensis Martii anni MDCCCLXXVII, hora I. post meridiem celebrabuntur, in quibus communia omnium vota communemque laetitiam oratio ab eloquentiae professore publice constituto, Eduardo Luebbert, patrio sermone habenda interpretabitur.

His sollemnibus ut prompto lubentique animo interesse velint, ea qua par est observantia magistratus Regios perillustres cum civiles tum militares, magistratus urbicos summe colendos, sacrorum antistites maxume reverendos, scholae humanitatis studiorum fundamenta strenue iacientis praeceptores honoratissimos, nec non viros spectatissimos ornatissimosque, qui aliquo officii vel studiorum vinculo cum universitate nostra coniuncti sunt, denique urbis incolas et quicunque patriae nostrae favent cupiuntque, rogatos invitatos esse volunt Rector et Consistorium academicum Universitatis Kiliensis.

Dabamus Kiliae Holsatorum die XVIII. mensis Martii MDCCCLXXVII.